

150

148

154

144

159

139

199

099

249

049

Ende

Anfang

139

mutatus est et ventus, qui contra nos fuerat, aquilo fugatus per austrum, cui cum vela praebuisse mus, repente de luto, cui infixi fuimus, nos tulit impetu magno et in verum Nili alveum reportavit, per quem descendimus veloci cursu laetis vultibus contra mare. In ortu autem solis primo mare vidimus, in cuius aspectu nonnulli peregrini lachrimabantur prae gaudio, quia regionem intuebantur per quam via in natale solum est, cuius etiam memoria quam dulcis sit procul exulantibus, nemo novit, nisi expertus, de quo vide supra fol. 38. b. Cum hac laetitia ad Nili terminum appropinquavimus et in ostium Canopum vel Heraclioticum, per quod Nilus fauces magni maris ingreditur, delati sumus. Verum ne cum Nilo mari illaberemur, supra ostium navem stabilivimus funibus et anchoris. Venerunt etiam aliae naves post nos cum aromaticis speciebus, et juxta nos naves suos locabant. Erat autem portus ostii repletus navibus, ita, quod nulla se poterat vertere inde vel hinc et in littore magna multitudo paganorum, cum multis camelis, asinis et equis, suscipientes a nautis species aromaticas, et tantus erat clamor et tumultus, quod novo timore turbati fuimus. Accurrebant autem supra littus ad locum, ubi nos stabamus, et stupore et admiratione respiciebant (B) nos, quia insuetam rem viderunt, non enim solitum est, Christianos ad hoc duci ostium. Disposuimus ergo nos ad exitum et petivimus nautas nostros, navem proprius ad terram ducere, ipsi autem vice versa magis a terra ducebant, ne extra saltare possemus, dicentes, nos adhuc obligatos esse eis, quod tamen verum non erat, quia tota, ut oportuit, in Roseto solvimus, verum ut vexationem redimeremus, solvimus eis denuo. Facto ergo ponte eportavimus nostras res super littus Nili et maris ad locum segregatum in carectum et ibi simul sedimus et paximatis rodimus et caseum et aquam Nili bibimus, nihil enim coctum calidum ab heri et nudius tertius gustavinus, sed cum patientia et timore in carecto sedimus et omni momento turbationem aliquam nobis venturam exspectavimus, nullum habentes dubium, quin de loco illo recedere non possemus nisi bene tribulati et vexati per illos gentiles mercatores, torvo enim vultu nos respiciebant et despiciens gestibus, malum, quod animo gerebant, nos non latebat. Cum ergo pauxillum gustassimus, commisimus Halliu disponere nobis camelos pro ductione nostra et supellectilium in Alexandriam, ad quam super littus maris

